bus fœdam, uti eam depingit *Tacitus*: *f* sed celebribus & copiosis oppidis, fortissimis hominibus affluentibus, refertissimã, (quod veteres Romani Impp. ne optare quidem ausi sunt) quin ipsam etiam Italiam, illam *multarum gentium victricem, & orbis Dominam*, magnam partem suæ ditionis fecerint; vicinas item nationes male quietas ad obsequium redegerint. Vnde & vetusto elogio *rerum Domini* VVitichindo *g* appellati; atque inter alia Imperii insignia retinuere *globum* illud universalis Imperii symbolum, non minore certe quam Impp. Græci, à quibus mutuati videntur, jure: quippe quorum nec decessores, Orientem adhuc cum Occidente conjunctum habentes, ac propterea immodici interdum sui æstimatores, vere semet de toto orbe subjugato unquam, nedum illi, potuerint jactare. Quamvis modestius hac in parte, quæ minus insolenter, videantur locuti, qui *Romanum* appellavere *Orbem* illam οἰκουμένης à se devictæ partem, id quod *Aurelianum* Imp. *Epistola* ad Zenobiam *h* fecisse legimus; quomodo τὴν ἰδίαν οἰκουμένην, *suum terrarum orbem*, utpote sub ditione sua atq; imperio constitutum apud *Xiphilinum i* dixit Nero; & *Teutonicum orbem* Germaniam, seu Teutonicum regnum, appellavit, *Guntherus Ligurini* lib. x, *k* sicut alio fortean loco & tempore persequemur latius. Neque enim nunc multa addere necessum duco, præ-

f Lib. de situ & mor. Germ. cap. 2. & 5.

g Præfat. in Annal. & alibi.

h Ap. Flavium Vopisc. pag. 282.

i pag. 190. edit. H. Steph. 1592.

k vers. 2.